





1719, 11  
16  
FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
ERNESTUS  
TENZELL,  
JCTUS,

CONSILIARIUS REGIMINIS ELECTORALIS,  
JUDICII PROVINCIALIS ERFURTENSIS  
ASSESSOR, ET CIVITATIS CONSUL PRI-  
MARIUS, ET REL.

*B. L. S.*

---

*ERFORDIÆ,*  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

FACULTATIS JURIDICAE  
DECANUS  
ERNESTUS  
TENNELL  
JCTUS

CONSILIARIS REGIMINIS ELECTORALIS  
JUDICII PROVINCIARUM ELECTORALIS  
ASSessor ET CIVITATIS COMITIS  
MANNI ET ALII

A. L. S.

ALFORDI  
Typis JOH. HENRICI GROSCHL  
Acad. Typogr.





**Q**uanta sit fidei humanæ nostris temporibus in negotiis ac contractibus integritas, quotidiana docet, præsertim in judiciis, ubi infinitæ ferè lites nunquam non vigent, experientia. Et quis est, qui in negotiis gerendis tam cautè versari didicit, quin lubricam experiatur fidei humanæ firmitatem? Cum tamen fundamentum Justitiæ sit fides i. e. dictorum, conventorumque constantia. *Cic. 1. of. vid. Grot. de J. B. 2. 11.* Sanè in majoribus nostris, Germanis veteribus, tantam fidei pactorumque tenacitatem observat Tacitus *L. XXIV. de Mor. Germ.* ut etiam in alea eam fallere noluerint, sed libertati alias carissimæ & inæstimabili, fidem & promissorum constantiam præferre non dubitarint: *aleam quod mirere, ait, sobrii inter serâ exercent, tanta lucrandi, perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu, de libertate & corpore contendant. Victus voluntarium servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior, alligari se, ac venire patitur: ea est in re prava*

X 2

per-

*pervicacia: Ipsi fidem vocant.* Sed quid nunc? pro antiquis fabulis (uti Justinianus proœm. J. §. 3. de veteri jure loquitur) hæc hodiè habentur. Cautionibus itaque opus, ut quantum fieri potest, vinculo adstringantur promittentes arctiori, ut promissa servare, compelli possint. Tales cautiones jus nobis Romanum suppeditat per plures; modo enim verbis religiosis quibus divinum Numen tanquam testis, simulque vindex injuriôsæ contraventionis invocatur, promissis robor addit, quale tamen Jus Canonicum auxit; Modo scripto, s. Chirographo dato, prospicit; quod moribus hodiernis per literas Cambiales, personam ipsam debitoris arctius adstringentes, frequenter, & non sine felici successu, fieri assolet; Modo datis fidejussoribus, qui mediante stipulatione, pro alieno debito fidem apud creditorem interponunt, utitur; Modo nexu pignoris aut hypothecæ, debitum firmat. Quam cautionem multi reliquis præferunt, plus cautionis in re, quam in personâ esse existimantes. Jus vero in re, in securitatem crediti constitui potest, sive res oppignorata tradatur, sive non: cum secundum Jus Civile quidem pignus per contractum realem, ad cujus perfectionem rei traditio requiritur, constituatur. Jure verò Prætorio idem effectus absque traditione per pactum impetrari possit: Inde forè est, quod *Marcianus in l. 5. §. 1. de pignor. ait: Inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differt.* Et quod effectu juris, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil intersit, utrum res tradatur, vel non, §. 7. *Inst. de act. l. 5. §. 1. ff. de pign. & hyp.* Sed quales & quantæ etiam hic intervenire possint, & quo-

quotidiè interueniant fraudes, multi serè nimis da-  
mna quæ incurrunt, deplorantes, experiuntur. Quæ  
enim non periculosa Syrtis ob tacitas per multas in  
iure introductas hypothecas, hic latent? quas adeò  
vel planè tollendas, vel tamen coercendas suadet Dn.  
*Berger. Oecon. Jur. Lib. 2. Tit. 5. thes. 1. not. 5. p. 515.*  
Quæ non cautelæ circa pignus Judiciale constituen-  
dum, obseruandæ, ut scil. confirmatio fiat coram ju-  
dice immediatè competenti, & qui inferiorem Juris-  
dictionem habeat; Ut in bonis Emphytevticis, &  
Feudalibus, præter confirmationem Judicis compe-  
tentis, adhibeatur consensus Domini Directi, & in  
Feudalibus simul Agnatorum, & resp. simultaneè  
investitorum, et similes. Quid quod circa ipsum ob-  
jectum pignoris, difficultates oriri possint? Non qui-  
dem quod de instrumentis ad agriculturam destinatis  
*Zoesl. in Tit. ff. Quæ res pign. n. 6 per l. 7. & 8. C. eod.*  
*tit. statuit, quasi non possint oppignorari, sit sentien-*  
*dum. Cum ibidem solum inuitis dominis, prohibita*  
*fit executio ratione rerum iudicatarum, in talia instru-*  
*menta; inde igitur aliud, si agricolæ suâ sponte pi-*  
*gnori dederint suâ instrumenta, dicendum, Hunn. ad*  
*Treutl. Vol. 2. D. 1. th. 5. in f. Et quod hodie etiam*  
*intuitu instrumentorum rusticorum decernatur exe-*  
*cutio, sed tunc demum, quando ex aliis rebus cre-*  
*ditori satisfieri nequit, notat Carpz. de proc. rit. 35. art.*  
*2 n. 14: Sed quod, ut aliena res pignori data sit, eve-*  
*nire possit sec. tit. C. si al. res pign. dat. junct. l. 6. C. quæ*  
*res pign. obl. poss. l. 16. §. 1. l. 20. pr. ff. de pign. act. Ex*  
*quibus ll. constitutionem pignoris, fieri non posse,*  
*nisi in bonis propriis, manifestum est, cum nemo*  
*plus*

plus juris in alium transferre possit, quam ipse ha-  
buit *l. 54. de R. J.* Dissentiente licet *P. Fab. 2. se-*  
*mestr. 17. præcipue ob l. 9. in f. ff. de pign. quod em-*  
*tionem venditionem recipit, etiam pignorationem recipere.*  
rem autem alienam emi & vendi posse, dubio caret,  
*l. 28. ff. de Contrab. emt.* Sed vix est ut illa compara-  
tio emtionis & venditionis simpliciter admittatur,  
cum alter contractus solo consensu perficiatur, alter rei  
traditionem ad sui perfectionem requirat, & sic illa  
comparatio eò tantum pertineat, ut intelligamus u-  
trobique rem in commercio esse debere. vid. *Wiss. p.*  
*l. D. 27. th. 17.* ubi & reliqua Fabri argumenta refutat.  
Quamquam re penitus inspecta, idem videatur, si  
cum aliis dicamus, subsistere utrumque contractum,  
non quidem in præjudicium veri Domini, sed solum  
inter ipsos contrahentes, hoc quidem quoad contra-  
ctum pignoratitium effectu, ut actio pignoratitia con-  
traria adversus dantem rem alienam in pignus, pos-  
sit institui, ut debitor rem propriam in securitatem  
crediditi det, *L. Si rem 9. pr. ff. de pignor. act.* Idem *l. 16.*  
*§. 1. & l. 32. ibid junct. l. 6. C. Si aliena res pign.* & debitor  
qui rem alienam pignori dedit, habeat pignoratitiam  
actionem directam *l. 22. §. 2. ff. eod.* atque ita ex  
pignore rei alienæ, non realis, sed personalis actio  
nascatur. vid. *Brunnem. in d. l. 6. C.* Pluribus hæc  
pertractabit

NOBILIS ET CLARISSIMUS DOMINUS  
AUGUSTUS CHRISTIANUS  
ERMELIUS,

Advocatus in Patria, & N. P. C. in Lectione sua cursoria, ad d. l.  
*Si rem 9. ff. de pignorat. act.* Natus is est *Grimma* Oppid, *Misnie,*  
d. 2.



d. 2. Maj. MDCIIIIC. Parentes veneratur adhuc superstitēs,  
Virum Nobiliss. ac doctiss. Dn. M. GEORGIUM ERME-  
LIUM, Rectorem Gymnasii Grimmenfis meritissimum; Ma-  
trem verò DOROTHEAM, natam Huhniam. Optimi isti  
Parentes, nihil vere prætermiserunt, quod suarum partium  
esset; Quare non solum in filiolum rite educandum omnem  
collocaverunt operam, sed & cum genuinis bonarum  
literarum fundamentis imbuendum curaverunt. Ipse-  
met Clarissimus Parens eundem, cum adhuc in prima versa-  
retur pueritia, principia Christianissimi edocuit, additis pri-  
marum literarum fundamentis. Cum deinceps maturioris  
ætatis esset, eum informationi Viri Præclari ac Doctissimi Dn.  
M. Hauptii, Rectoris Scholæ oppidanæ, quæ Grimmæ viget,  
meritis tradidit. Cujus Viri solertiam eximiam, quam in  
institlandis bonis artibus adhibuit, publicè deprædicat, sub  
ipsius quippe auspicijs, prima latinæ linguæ, ac studiorum  
humaniorum fundamenta hausit, non omisis sis, quæ ad ve-  
ræ pietatis fontem ducunt. Post aliquot annos, ad ipsum  
Gymnasium delatus, ex ore optimorum, & fidissimorum  
Præceptorum pependit. Inter quos primo loco ponendus  
ante dictus Dn. Parens, Lycei Rector. Ab hinc numerandi  
Dni M. Schumacher, Conrektor, M. Egenolf, Collega tertius,  
& Jacobi, Cantoris munere fungens. Ibidem tales in stu-  
dijs fecit progressus, ut anno MDCCXV. dignus judicatus  
fuerit, qui ad acroases admoveretur Academicas. Elegit huic  
fini inclytam Academiam Lipsiensem, ubi initium studiorum  
à Philosophia fecit, ita tamen, ut Jurisprudentiæ studio præ-  
cipuè se consecraret, nactus ibidem studiorum Promotores  
præstantissimos. Philosophica tradidit principia Vir celeberr.  
Dn. Polycarpus Godofredus Müller, Eloquent. P. P. qui omnes  
Philosophiæ partes, egregiâ pertractavit methodo. Quoad  
Jurisprudentiæ studium, inter præcipuas suæ felicitatis partes  
ducit, se patrocinio usum Viri Prænobilis & consultiss. Dn.  
Job. Sigism. Birnbaumii, Prætoris in inclytâ Rep. Lipsiensi me-  
ritiss. &c. Cujus favorem summum non modo, sed & do-  
ctrinam in tradendis principijs Juris Civilis ad ductum Insti-  
tut. Justinian. egregiè deprædicat. Addidit autem & Nobiliss.  
Viri, Dn. Johannis Frider. Olearii Pandect. P. P. informatio-

REM

nem in Lectionibus ad easdem institutiones Justinianeas. Cujus solidiori doctrinae, se permultum debere, egregie fateatur. Frequentavit & Dn. *D. Käßneri* Institutiones Juris a Digesta, ad ductum *Schaefferi* explicantis Collegia. Consultit, itidem Dn. *Job. Christ. Schaefferi* explicationibus ejusdem systematis Schaefferiani, nec non Gribneriani Processus, cum ipsius Ordinat. Proc. Elect. Saxon. interfuit. Juris Naturae praeterea disciplinam sub moderamine Dn. *D. Caroli Ottonis Reichenberg* addiscendum statuit, Cujus etiam praelectiones ad Tit. de R. J. frequentavit. Collegiis insuper Dn. *D. Gottlieb Wilhelmi Dinckleri* in Schaefferi synopsis, Stryckii examen Juris Feudalis ac Gribneri Principia processus interfuit. Studium vero practicum dirigente Dn. *Schlegelio* causarum Patrono celeberr. per exercitia elaboratoria excoluit. Nunc ad honores Academicos adspirans, nos accessit, petens à Facultate nostra ut janua ad scopum hunc legitime perveniendi ipsi apeririatur. Illa est, ut per examen consuetum quod vocant rigorosum, eruditionis in Jurisprudencia acquiratae ratio comprobetur. Transmissimus igitur Textus ex Jure Canonico & Civili, praefinito simul ad examen inaugurale termino. Ubi & in textibus elaborandis, & in ipso examine talem se praestitit, ut unanimi consensu qui ad altiora specimina & ad ipsum gradum Doctoralem admittatur, dignus fuerit judicatus. Quare crastina die 19. h. post horam 8vam matutinam Lectionem cursoriam ad *d. l. 9. ff. de pign. Act.* eaque finita Disputationem inauguralem in auditorio consueto habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Dn. Universitatis Rector, reliquique Proceres ac Cives Academici, eam quam par est observantiam, invitantur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. Dom. 2. post Trin. d. 18. Jun. Ao. MDCCXIX.

(L. S.)

77-α (1+12)


56.

ULB Halle 3  
004 997 492



WDIP







1719, 11

16

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
ERNESTUS  
TENZELL,  
JCTUS,

CONSILIARIUS REGIMINIS ELECTORALIS,  
DICI PROVINCIALIS ERFURTENSIS  
SSESSOR, ET CIVITATIS CONSUL PRI-  
MARIUS, ET REL.

*B. L. S.*

---

*ERFORDIÆ,*  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

